



UNIV. BIBLIOTH.
* 1905 *
HELSINGFORS

שם יהוה:

SPECIMEN HISTORICUM;

DE

ALANDIA,
MARIS BALTICI
INSULA,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

*Consensu Ampliff. Facultatis Philosoph.
In Reg. Acad. Upsal.*

PRAESIDE

VIRO CELEBERRIMO,

MAG. ELIA FRONDIN,

Histor. PROFESSORE Reg. & Ordin.

Publico examini submittit

ALUMNUS REGIUS,

CHRISTOPHORUS TÄRNSTRÖM,

UPLANDUS,

Schol. Östham. Moderat. design.

In Auditor. Gustav. maj. ad diem 1. Dec.

MDCCLXXXIX.

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIAE impressum.

S:AE R:AE M:TIS
SUMMAE FIDEI VIRO,
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,
DOCT. JOANNI
STEUCHIO,
REGNI SVECIAE ARCHIEPISCOPO emi-
nentissimo, Academiae Upsaliensis PROCAN-
CELLARIO Magnificentissimo, Consistorii Eccle-
siastici PRAESIDI gravissimo,
MAECENATI SUMMO.

Dubitasse profecto, ad Te, Reverendissime PATER, hoc tam levi & exiguo munere accedere, nisi quem negare mihi aditum dignitas, eminentia, & perpetuae occupationes Tuae iuderentur, eum singularis Tua erga eos, qui Musas colunt benevolentia miraque admissionis facilitas polliceretur, & hoc conatui meo non veniam modo, sed favorem quoque promereret. Mea vero erga Te pietas, cum aliis plurimis, si quoque novo quodam & nuperrimo gratiae Tuae experimen-
commoata, contineri non potuit, quin data hac occasione publice erumperet, gratumque erga Te animum & obsequia meo quo posset modo, significaret. Si haec in me voluntas, ex qua sola metiendum hoc donum est, Tibi placuerit, magnum in felicitatis meae incrementum judicabo, uno hoc modo augendum, si futuras quoque spes meas fovere & adjuvare dignatus fueris. Ego in votis pro Tua salute & felici diuturnitate, quam mixtis suspiriis Patria, Literae, Ecclesia, ab immortali DEO expetunt, perpetuus ero.

Reverendissimi nominis TUI

cultor devotissimus
CHRISTOPHORUS TÄRNSTRÖM,

S:AE R:AE M:TIS
MAGNAE FIDEI VIRO,
Perillustri ac Generosissimo
BARONI ac DOMINO,

DNO. J O H A N N I
BRAUNER,

PROVINCIAE UPLANDICAE
GUBERNATORI

Praecellentissimo,

MAECENATI MAXIMO.

Communis ille favor, quo literas nostras earumque studiosos complecti soles, Generosissime Domine BARO, & qui ad me etiam singulariter descendit, hanc mihi piam audaciam peperit, qua parvam hanc ingenii mei prolem Tibi consecrare sustineo. Permittas obsecro, eam, cum per se obscura sit & ignobilis, ex illo Tuo Illustri nomine splendorem, decus, gloriam mutuari. Suscipias Tuo more hoc devotissimi animi documentum, cui inter perennem & venerabundam beneficiorum Tuorum memoriam prius nihil erit, antiquius nihil, quam pro Tuo & Generosissimae Familiae Tuae constanti flore ardentissima fundere vota.

Perillustris ac Generosissimi
Nominis TUI

cliens humillimus,

CHRISTOPHORUS TÄRNSTRÖM.

S:AE R:AE M:TIS
MAGNAE FIDEI VIRO,
Perillustri ac Generosissimo
BARONI ac DOMINO,

DNO. STENONI CAROLO
BIELKE,
CUBICULARIO REGIO;

nec non

Dicafterii Regii Aboënsis ADSESSORI
Gravissimo, acquissimo,
DOMINO GRATIOSISSIMO.

Tot tantaquæ exstiterunt Tua, Generosissime
Domine BARO, benevolentiae documenta,
quibus, Illustrium PARENTUM Tuorum ex-
empla secutus, me paternamq; domum cumulare di-
gnatus fuisti, ut eorum vix numerum inire, nedum brevi hac
pagina digne ea extollere & celebrare possim. Feliciter autem
inopiae meae subvenit generosa illa & nobilis animi Tui indo-
les, quae gratis benefica proprias laudes dedignatur, & ne
hanc quidem verborum mercedem expectat. Quanto autem
minus in celebrandis erga me Tuis meritis vocis & calami
officium exstitit, tanto plus ea in re animo & cogitationi da-
bo, quae hujus Tui favoris sensum nunquam amittet, cujus
haec suavissima & nunquam desitura occupatio erit, prospera
cuncta & perpetuam Tibi factorum indulgentiam apprecari.

Perillustri & Generosissimi
Nominis TUI

cultor humillimus;

CHRISTOPHORUS TÄRNSTRÖM

Kongl. Maj:ts
Tro - Tienare, ock MAJOR
Wid des Lif-Regemente til Håft,
Then Wålborne Herren,
**Herr MAURITS WILHELM
NISBETH,**

Min Höggunstige Herre.

San med mildhet, Herr MAJOR;
Mot all then gunst ock godhet stor;
Som Han mig städs benägit wisar,
At med en skänk af pappers kram,
Det man om Åland letat fram,
Hans ynneft jag wördsamast prisar.

Ock som jag mera ej kan rå,
Så önskas troligt HERREN må,
Hans Fromhet städse rikt belöna,
At man thes wälgång spörja får,
I stadig grönskan år från år,
Tils Himlen sidst gier Cronan sköna.

Wålborne Herr MAJORENS

Ådmiukaste tienare,
CHRISTOPHER TÄRNSTRÖM.

VIRO

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,

MAG. ERICO KLINT,

Ecclesiarum, quae in Börstel, Östhammar & Grä-
sön DEO colliguntur, PASTORI meritissimo, ut

& vicini Districtus PRAEPOSITO dignissimo,

FAUTORI semper colendo.

VIRO

Consultissimo

DNO. PETRO BERGDAHL,

Urbis Östhammarensis CONSULI

aequissimo,

FAUTORI AESTUMATISSIMO.

O B. Benevolentiam. Singularem. Et. Plu-
nem. Hanc. Historicam. Cen. Qua-
Gratissimique. Pignus, Animi. Cum.
Voluit. Debit.

Pl. Reverendorum, Clarissimo

observantissi
A. &

VIRO

Nobili & Strenuissimo;

DNO. GIDEONI BILLE,

Militiae Pedestris SICNIFERO,

Avunculo unico, carissimo.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Doctissimo,

Dn. GUDMUNDO ROTHOVIO,

PASTORI in Hammarland & Ekerö

Aland. meritissimo,

FAUTORI OPTIMO.

*rima. In. Se. Collata. Beneficia. Dissertatio-
lemcunque. Perpetuae Venerationis. Tesseram.
Omnigenae. Felicitatis. Voto. Consecrare.*

rumque Nomina Vestrorum


Åland, Åbo Stift och Landshöfdingedöme.

| Sochnar. | Annexer eller Capeller. | Slåt och Ladugårdar. | Summa Råman-talen. | Kyrkior nes Grund. |
|--------------|-------------------------|----------------------------------|--------------------|--------------------------------|
| a Sund | b wårdö ell. Sundskiår | c Castelholms Slåt och Kongsgård | 98 $\frac{7}{2}$ | Crono |
| d Saltwik | - - | e Haga Kongsgård | 81 $\frac{3}{4}$ | Crono |
| f Finström | g Geta | b Grelsby Kongsgård | 108 $\frac{1}{2}$ | Crono |
| i Hammarland | k Ekerö | - - | 111 $\frac{1}{4}$ | Crono |
| l Jomala | - | - | 130 | Crono |
| m Lemland | n Lumparland | - - | 76 $\frac{1}{4}$ | Crono |
| o Fögel | p Kökar och q Sottunge | - - | 65 $\frac{5}{8}$ | Klöster Jord |
| r Kumblinge | s Brandö | - - | 61 $\frac{1}{2}$ | Skatte af begyñelsen, nu Crono |

Pastoraterne alla Regale.

| | | | |
|----------------|-------------------------|---------------|-------------------|
| Moderkyrkior 8 | Annexer 7 | Kongsgård. 3 | 733 $\frac{7}{2}$ |
| x Nyhamn | x Postvägen til Finland | z Geta berg | |
| y Rödhamn | y Dele | ä Signelsskår | |
| v Ledfund & | | ä Lumparn | |
| w Löfön | | | |

CHARTA ÖF WER ÅLAND



Del.C.T.

SW. M. 11

S. C. G. W.



I. N. 7.

SECTIO PRIOR GENERALIS.

§. I.

De situ Alandiae agit.



Antiquitatis Patriae omni tempore maximis quibusq; Viris in primis commendandum & nobile visum est studium. Qua in re spectasse non jucunditatem modo, & illam ex rerum varietate profectam

dulcedinem videntur, cujus in domestica historia eo fortiores stimuli sunt, quo propiores: sed vero cum primis utilitatem & fructus, publice non minus, quam privatim inde expectandos. Tacebo turpitudinem hominis in sua ipsius patria velut peregrini, eo certe majorem, quo

A

minus

minus condonanda est rerum, quae proxime nos contingunt, ignoratio: id dicam, neminem ad Rempublicam accedere feliciter posse, cui sit ejus conditio & indoles ignota. Et profecto cum alia officia plurima, tum hoc quoque a nobis ingenii servitium patria exigit, ne latere eam & in obscuro versari patiamur, sed ex nostris in umbra etiam & pulvere laboribus, quantum fieri potest, lucis ei affundamus. Itaque cum alii ad ceteras fere Svecanae ditionis provincias illustrandas egregiam operam contulerint, mihi visum nonnulla de ALANDIA exponere, quam ut a reliquo orbe nostro, sic ab accuratiori hominum notitia, intercedens Neptunus sejunxisse videtur. Esse vero hanc Sveciae nostrae provinciam insulae modo aquis cinctam, atque inter duo maria, Balticum, puta, & Bothnicum sitam, ignorare nemo potest, Geographiae patriae vel tantillum peritus. Inter Uplandiam vero & Finlandiam ita media est, ut qua Orientem spectat, ob crebras insulas & isthmos hanc propius contingat. Unde factum est, ut Episcopo Aboensi, & qui communem cum eo sedem habet, Gubernatori jam pareat. Potiori autem jure adscribenda Uplandiae videtur. Neque id una de causa. Praeterquam enim, quod ora Alandiae non ultra quinque miliaria a continente Uplandiae distet, quod intervallum inter loca utrinque extrema, *Grislehamn* & *Signelskär*, intercedit; communi etiam lingua nobiscum fruuntur Alandi;

immo

immo nobis propius nonnuquam ad antiquam Gothicam accedunt; qua de re conspicua plurimarum vocum cognatio nos dubitare non permittit. a) Unde a plerisque Geographis Uplandiae juncta conspicitur. Magnitudo hujus provinciae communiter sex miliarium longitudinem ab *Ekerön* ad *Wårdö* complectitur. Latitudo quoque eadem invenitur, mensura ducta inde a septentrionali monte *Geta berg*, ad ultimas a meridie oras parociae *Lemlandensis*; calculo tamen exclusis parochiis, *Fögel* & *Kunblinge*, quae ab Alandia, quam firmam incolae vocant, trium miliarium spatio dividuntur, & in aperto mari jacent, ut annexas, *Kiökar*, *Sottunge*, *Brandö* & scopulos frequentes, Alandiam pariter circumjacentes, taceam. Sita autem est nostra, si vulgariis mappis habenda fides, sub elevatione Poli 60 graduum; longitudinis vero mediae fere est inter 41. & 42. octo spatiosas continens parocias, & sinuum opportunitate, quibus advenientes undique, praesertim ex *Finlandia*, *Ostrobothnia* & sinu *Finnico* naves admittit, magnopere commendanda. Fines habet ab aquilone *Bothnicas* undas, radices excelsi & ardui montis

A 2

Geta

a) Huc faciunt nomina virorum Alandiae, in vetustis eorum albis (*Jordböcker*) usurpata, quae in nostris cippis runicis etiam inveniuntur, ex. gr. *Algot*, *Asmund*, *Biörn*, *Gissle*, *Gunar*, *Ingemar*, *Ödve*, *Sigge*, *Sigulf*, & plurima alia. Immo nomina ibidem pagorum fere omnium *Suecana* sunt, ut: *Högbolstad*, *Strömbolstad*, *Smedbole*, *Sundby*, *Godby*, *Södersunda* &c.

Geta adeuntes. Orientem versus aequore, (*wat-tuskiftet*) terminatur, inde a Finlandia, duum miliarium latitudinem complectente. Limes australis sunt annexa *Kiökar*, & infames scopuli, totidem pericula navium, quos ipsum dein mare Balticum excipit. Ab Occidente Sveciam, & praecipue Uplandiam spectat, indeque interjecto sinu, qui mare Alandicum audit, & in latitudinem septem milliaria patet, separatur.

§. II.

De Etymo ejus inquiri.

Origo vocis *Aland*, quae latine *Alandia* dicitur, multiplicem conjecturam admittit. Ut autem, quatenam sit opinio veri simillima, facilius judicari possit, e re fuerit potissimas adducere. Et primum quidem nonnullos incolarum, haut omnino rudes, conjectantes audivi, nomen hanc insulam accepisse ab ave quadam maritima, ad dicta, a) cujus circa *Alandiam* ingens copia reperitur. Sed haec ideo intuta derivatio est, quod earundem avium in ceteris quoque maris *Baltici* insulis & litoribus, par frequentia deprehendatur. Episcopus autem *Wiburgensis*, Dr. *BÄNG*, eruditorum quorundam in *Alandia* virorum sententiam

a) Unde etiam vetusta quaedam cantilena a priscis *Alandiae* incolis relicta, qua indolem regionis indicare voluerunt, sic habet:

Landet är os ganska godt,
Här är åd ock ungar nog,

Fisk ock fågel ha wi fådt,
Här är fult svart enda bo.

tiam refert, b) nomen scil. huic insulae dedisse infelicem casum reginae cujusdam, in mari Alandico quondam periclitantis, quae cum inter querelas, gemitus & anxiam emergendi desideria, oram hujus regionis vidisset, clamarit, *â Land, â Land*, unde mox terrae, ad quam anhela contenderat, nomen Åland impositum fuerit. Nemo autem facile ad credendum induci potest, fortuita naufragae verba, debili & vix audita voce prolata, toti insulae appellationem tribuisse. Majori similitudine veri diceretur, ab ipsa illa principe femina nomen accepisse, quemadmodum alias persaepe inventorum nomina retinuisse terras animadvertimus. Idem ille BÅNG auctor est, ex Germanorum alibus, hic olim servatis, dictam esse nostram. Hae enim cum germanice *Glend* appellentur, mutatum dein *e* in *a* putat, more non dissimili, quo superiores Saxones *a* pronunciant, ubi inferiores *e* usurpant. c) Obstant vero huic sententiae silentia annalium, qui ejusmodi Alandiae ministerium, Germanis exhibitum, ignorant. Primo aspectu composita vox videtur ab *âl*, *angve*, & *land*, *terra*, indeque nomen sortita, quod lubrico hoc genere piscium regio abundet. Sed id quoque adhuc incertum. Neque vero maritima praerasis, *satia* en *â land*, ejus auctoritatis fuisse nobis videtur, ut ex ea manare no-

A 3

men

b) Videatur *Historia* ejus *Eccles. priscorum Sveogothorum* p. 298. c) ex gr. *Maisen* pro *Meisen*, conf. *supracit. Bång* p. 269.

men Alandiae potuerit. Neque haec sola est terra, in quam expositi saepius homines fuere. Nos itaque rectissime duci putamus natales vocis Alandiae a voce Gothorum antiqua, *aa*, hodie *â*, *flumine* (seu *amne d*) & *land* terra, quae conjunctae terram significant aquis intersectam & circumdatam. Quae derivatio in lingua veteri Sveogothica & runico, ut dicitur, alphabeto fundata, indole etiam & situ loci firmatur. Accedunt exempla & consuetudo appellationis aliarum in Scandinavia nostra provinciarum & urbium *e*). Hinc etiam scriptoribus antiquis *aaland* audit; & a MICH. VEXIONIO in descriptione Sveciae *Ålandia* dicitur, mari velut amnibus intersecta. Sentio objici posse: amnes in Alandia nullos reperiri. Quamvis autem fateamur, ob exiguum terrae spatium, mari undique circumdatum, rarius hic reperiri majores ejusmodi amnes, cum impetu aquam volventes; frequentes tamen maris sinus, & varii aquarum ductus, ad pontium usque necessitatem non raro magni, amnium utique fluminumque similitudinem quandam praebent. Haec igitur vera esse vocis cunabula existimamus, quod insuper confirmat a libi etiam facta vocis *aa*, vel *â*, ad loca fluvio aut

d) Vide Ol. Verelii Lexicon. e) Ut provinciarum appellationes a situ petitas, sciens praeteream; nostrae etiam sententiae propius favent *parœcia Åland*, prope Upsaliam; & *pagus Åland*, in *Säbråd Angermannorum*, quibus nomina iidem praeterlabentes amnes dederunt.

aut mari finitima, applicatio. Propinquum exemplum exhibet *Ubo*, &c.

§. III.

*Sententiam, qua Alandia veterum Biarmia
statuitur, breviter tangit.*

Biarmiae, cujus frequens in antiquis gentis nostrae historiis mentio fit, varium varii situm assignarunt. In eo tamen conveniunt STURLONIDES, in historia rerum septentrionalium, pariter & historia HERAUDI & BOSAE, aliaeque: Biarmorum numen, *Fomala* vocatum, templumque ejus, finii Bothnico vicinum & silva circumdatum fuisse. Cum vero nomina haecce antiqua jamdiu perierint, terminos certos Biarmiae tribuere tanto judicamus difficilius, quanto plura ea de re sententiarum diffidia inveniuntur. Alii enim Bothniam Borealem pro Biarmia veterum habent; alii Occidentalem, eumque in primis tractum, qui dimidiam seu Borealem Medelpadae, Australem vero Angermanniae partem constituit; Lapponiam alii, mari albo adjacentem, ut alia taceam loca, in societatem hujus nominis venire solita. Episcopus Dr. P. BÖING, originem vocis Biarmiae a litoribus seu scopulis marinis, *Södre ock norre arm*, ductam esse existimat, mare enim Balticum in duo brachia seu sinus, promontorio Alandico se dividit, Bothnicum & Finnicum; atque sic in composito dictam esse Biarmiam vel Germanice *Beiarmien* & Sve.

Svetice Biarmien, quasi armen förbi a) unde etiam-
 num hodie a navigantibus in mari Alandico,
norre ock Södre armen vocantur. Cui sententiae,
 ex ipsius mente, suffragantur reliquiae vocis *Fo-*
mälä in proecia quadam Alandiae, quae nostro
 adhuc aëvo *Fomala* appellatur, eoque nomine in-
 signita videtur, quod celebris templi sedes fuerit,
 ubi hoc idolum suum ethnica Biarmorum impie-
 tas adoraverat. Adhuc quoque templum illud
Fomalense silva circumdatum conspicitur, eo fere
 modo, quo veteris istius situm historiarum mo-
 numenta tradiderunt, quamquam nomen saltus
Vimmer ipsa temporis diuturnitate periisse miran-
 dum non sit. Huc quoque referri posse vide-
 tur, quod HERAUDUS & BOSA, a Gothia in
 Biarmiam navigaturi, orientem versus profecti
 dicantur. *b)* Hae autem rationes, tanti haud-
 quaquam roboris apud nos esse possunt, ut huic,
 de Biarmia veterum, sententiae tuto subscribere
 queamus; praestat igitur in re tot tenebris invo-
 luta, iudicium suspendere, eandemque aliis, ma-
 jori subsidiorum copia instructis, indagandam
 relinquere.

§. IV.

Alanos veteres ex Alandia prodiisse, celeberrimorum Antiquariorum opinio.

Quo tempore inter regulos divisa Svecana
 Maje-

*a) Vide Histor. ejus Eccles. Sveog. p. 267. b) circa finem
 Cap. 6. haec habentur in textu Gothico: oc hieldu i austur
 veg, oc komu undir Biarmaland. Cfr. Cap. 12.*

Majestas fuit, quin suum Alandia quoque habuerit regem, Monarchae Uplandico subiectum, vix dubitari potest. a) Neque enim, si mos & conditio istorum temporum spectetur, indigna omnino censi debet, quae propriis fulserit sceptris, utpote quae praeter continentem & scopulos quamplurimos, insulas circiter LX. majores complectitur, b) ex quarum conjunctione VIII. illae, quas praediximus, paræciae enascuntur: quas majori olim copia incolarum abundasse, haud obscure prodit eximia loci ad merces cum exteris commutandas opportunitas. Hinc etiam omnes fere annalium nostrorum scriptores incunabula veterum Alanorum in Alandia collocant. Primum nominabimus BAZIUM, qui in Inventario Eccles. Sveogoth. c) dicit, *Alanos habitasse primo in Alandia & Olandia insulis Gothicis.* JOH. MAGNUS d) *Alanos ab insulis Alandicis in mari Baltico intra Scandiam & Finningiam, dictos insuper esse Roxolanos, quasi dicas Russos Alanos,* affirmat. Neque est, quod eum familiari sibi alioquin *πατριδομανίας* vitio nimiam nobis indulisse putes: quam suspicionem hic tollit consentiens cum eo auctoritas JORNANDIS, DEUXIPPI, ABLAVII & PROCOPII. Huc accedit PTOLO-

B MAEUS,

a) Dilucide hanc rem probat Messenius in *Scandia illustrata*, Tom. 1. p. 7. Conf. *Vildes Historia Svecan. pragm.* p. 189. b) Videatur hic calculus apud *Ceteb. Bång in Hist. Eccles.* p. 268. c) pag. 22. d) In *Historia Sv. Goth. Libr. 15. Cap. 19.*

MAEUS, inter populos Scythiae referens *Alanos*, eum quo paria faciunt, PLINIUS, e) SVETONIUS, f) AMMIAN. MARCELLINUS, g) JOSEPHUS de bello Judaico, h) & alii. Quamvis enim de vera Scytharum Alanorumque sede a nobis diversum sentiant exteri scriptores; id tamen fateri necessum habent, quod ex historia harum gentium manifeste patet, *Alanos* gentem fuisse Gothicam, atque cum Gothis religionem, linguam, ritus communes habuisse, immo in armorum quoque societate vixisse. Cui sententiae congruunt testimonia PROCOPII, i) CONRADI PEUTINGERI, k) ISIDORI, l) OLAVI MAGNI m) & ADAMI BREMENSIS, n) quorum haec concors opinio est, *Alanos* ab *Alandia*, *Scondiae* insula, nomen & originem duxisse, non vero a *Sala*, fluvio Saxoniae, ut KRANTZIUS, o) neque ab *Ale*, fluvio Prussiae, ut PRAETORIUS p) existimat, quidquid demum in fide sua opinionis uterque molitur. Nec praetereundus est EGINHARDUS, qui in vita CAROLI MAGNI, inter insulas Svecanas *Alandiam* referens, incolas ejus *Alanos* appellat. THORM; quoque TORFAEO mare illud, quod ostio sinus *Finnici* objacet, *Alanum* ab accolis *Alanis* vocatur.

Ulti.

e) *Histor. Natural.* Lib. 4. Cap. 12. p. 56. f) in *Vita Domitiani*. g) Lib. 31. h) *Libr.* 7. Cap. 27. i) Lib. 3. p. 399, 499. belli *Vandalici*. k) p. 687. l) *Libr.* 15. *Alanos mari Baltico vicinos ait.* m) ed. m. p. 489. n) p. 139. o) *Libr.* 3. Cap. 2. p) *In Orbe Gothico*, Lib. 2. p. 204. & 206.

Ultimo denique loco, velut inter triarios, collocamus Celeberr. Polyhistora, RUDBECKIUM, Patrem, qui plurimis in Atlantica sua locis, Alanos probat originem Alandiae nostrae debere; deinde vero in communionem nominis hujus venisse hinc exeuntes colonias, Ponto Euxino marique Caspio vicinas. In fidem rei videatur Tom. 1. p. 396. Tom. 3. p. 326, 327. & 336.

§. V.

Insigne Comitatus Alandiae ejusque sigillum Territoriale sistit.

Quemadmodum Alandia, id quod jam ante significavimus, antiquis temporibus proprium regem agnovit; ita posteriori aevo, nomine Comitatus a) & provinciae, a ceteris distinctae, venire solita, usque ad seculum superius suo Gubernatori paruit. De insigni ejus dissentiunt Historici. MESSENIUS b) pariter & WEXIONIUS, in descriptione Sveciae, continuisse putant duas damas, inter rosas novem positas. Rectius alii insigne Alandiae faciunt Akem, sub corona comitiva, collari ornatam, in campo caeruleo; quorum in numero eminent PALMSKIOLDIUS.

c) Hoc modo eleganter delineatum quoque o-

B 2

peri

a) Vid. Hübneri Stats, Zeitungs und Conversations Lexicon. b) In Speculis Sveciae, Cap. 13. c) In M. S. S. Acad. Upsal., quae, ut & alia plurima, illinc excerpere, mihi licuit, indulgentia Amplissimi atque Celeberr. Academiae hujus {Bibliothecarii, Dn. Mag.} ANDREAE NORRELI.

peri suo inferuit DAHLBERGIUS. Ne quis autem miretur hoc Alandiae tributum insigne fuisse, sciendum est, nostram, cum varii generis domestica pariter & fera animalia alar, tum vero praecipue alcium proventu foecundam esse, quarum ad ultimam usque Muscoviticam irruptionem, tanta hic copia crevit, ut parem alibi aegre inveneris. d) Hae superbae prius per omnes campos & silvas oberraverant, alia fere pericula nescientes, nisi a regia manu & voluptate ventura. e) CAROLUM quoque XI, gloriosiss. memor. Regem, hac venatione magnopere delectatum, in Alandiam A:o 1671. invitaverant. f) Denique vetus hic comitatus, qui per Regulos olim & Gubernatores administratus fuerat, indolem deinde territorii cujusdam induit, suumque judicem territorialem nactus est. Adhuc vero dignitatis pristinae speciem quandam hoc territorium gerit, sigillo

d) Eo enim tempore alces pleraeque, partim a Russis captae, partim inter pacis componendae consilia, in Löfön agitatae, exhaustae. e) Alandia vivarium est, unde incolis regium edictum venatione & animalium captura severe interdixerat, exceptis tamen maris accolis, (Skärgårdarna) quibus maritimas omnis generis aves & phocas capere licuit. f) In actis Palmiskiöldianis haec habentur: år 1671 den 31. Aug. afreste Könungen, drottningen och de tvenne furstelige Frökna, Hofmästerinnan, nogra af Fruentimret; Riksmarskalken Gr. Gabr. Oxenstierna, Herr Sten. Bielke, Gr. Nils Brabe &c. til Aland uppå Elgjacht och affseglade den 9. sept. derifrån tilbakars öfver hafvet uti en stor storm, och kommo efter några dagar til Stockholm.

figillo fatis antiquo munitum, cujus in mappa A-
landiae, a nobis delineata, effigies cernitur. Re-
praesentat vero virum, in tribunali sedentem, &
imposita corona splendidum, qui dextra securim
navalem, (änterbila) sinistra vero insigne Uplandicum, pomum nempe, balteo cinctum, crucisque signo ornatum, tenet. Quibus rebus significari utique puto partim Alandorum navalem peritiam, & veterem parandi victus consuetudinem, partim quoque obsequium, legibus & juri principis provinciae, Uplandiae, g) praestandum. Nam Alandiam quoque Regi Uplandico olim paruisse, ex conjectura admodum probabili supra affirmavimus. Quisnam porro OLAVUS ille dicendus sit, cujus imago impressa sigillo conspicitur, cum inscriptione: S. BEATI: OLAVS: DE: STAOZAR: SWIO, frustra adhuc apud historicos quaesivimus. Id vero non temere suspicamur, fuisse eum ducem quendam navalem, vel Gubernatorem Alandorum, patria Svecum, qua de re non solum effigies ipsa, sed inscriptio etiam, ubi Swio dicitur, manifeste testatur. Voce autem Staozar indigitatur fortassis praedium ejus, unde hic ipse, more jamdiu apud Svecos recepto, etiam se appellari voluerat.

B 3

Quod

g) Eodem modo ceteras quoque regiones legum Uplandicarum imperium agnovisse, constat ex Chronico vet. Norvegico, p. 215: quamquam temporis progressu proprias leges & statuta accepisse non negemus. Conf. Loccen. Antiqu. Sveogoth. Lib. 2. Cap. 2.

Quod praedium adhuc in parœcia Sundensi superest, in edito colle locoque amœno prope *Slottsjungdet* situm, & hodie *Taozarby*, vel ut aliis placet, *Tozarby* dicitur, b) litera s, juvandi eloquii causa, id quod alibi etiam saepe factum est, abjecta. Nihil itaque impedit, quo minus hanc putemus genuinam sigilli hujus rationem fuisse, quam una mecum amplexi sunt viri Alandi, in antiquitatibus patriae egregie versati. Neque enim ullo modo fieri potest, ut sigillum hoc Olavo, Haraldii filio, Pr incipi Norvegiae, originem debeat. i) Noster enim *Swio* seu Svecus appellatur, & insigni Uplandico uritur, quorum neutrum Olavo Norvagico convenit.

§. VI.

Alandiam olim proprios suos Gubernatores seu Castellanos habuisse, demonstrat.

Gubernatoribus, quorum imperio ad annum usque 1640. constanter nostra paruit, arx Castelholmensis sedem praebuit. Horum vero justam tibi, L. B., seriem sistere mearum, fateor, non fuisset virium, nisi conatui tam arduo auxilio venisset indulgentia Viri Ampliss. D:ni AND. ANTON. STIERNMANNI, Actuarii ad Archivum Regni

b) Continet hoc praedium secundum albos rationum 400. marcas terrae, & inhabitatur a 4. colonis, familia Staozariensi jam emortua. i) Ut quidam putant, adducti imaginis S. OLAVI cum nostro similitudine. Huc quoque trahunt praelium, ad scopulos Sotaskär olim factum, idque ad facellum Sottunge referunt, vid. §. VII.

Regni longe dexterrimi, cujus erga Camenas Upsalientes favorem, cum incredibili de antiquitatibus patriae merendi studio conjunctum, magnopere veneror. Ex ejus itaque literis, haud ita pridem benignissime ad me datis, quibus monumenta quoque Academiae hujus PALMSKIÖL-DIANA addita sunt, fuere illi sequentes:

HENRICUS YRIESHAGEN vel GÖRIESHAGEN, A:o 1431. a)

OTTO POUVISK, filius BENED. POUVISK & YDAE KÖNIGSMARCK, A:o 1433. b)

SIMON KÖRNING, praefectus Castellholmiae 1438. anno dein 1450. Senator Regni factus, quo etiam munere parens ejus, CANUTUS KÖRNING, antea functus est. c)

CAROLUS, MAGNI filius, de Ekä & Finstad, Eques pariter & Senator Regni, qui praefecturam Alandiae adiit circa annum 1453. d) Uxorem duxerat BRIGITTAM, filiam ARENDII PINOVII, de Finstad. Horum Neptis, GECILIA MAGNI, Patriae & seculo dederat immortalis gloriae Regem GUSTAVUM I., ERICI filium. e)

ERICUS JOHANNIS filius, Eques auratus, Senator Regni, & Gubernator Alandiae 1497. Hoc patre natus est GUSTAVUS Magnus, Rex. f)

ERICUS

(a, b, c) Ex literis nobiliss. STIERNMANNI accepti

d) Alii ad annum 1436. hoc regimen referunt. e) Monumentum PERINGSKIÖLD. Tiund. p. 129. f) Vide Histor. GUSTAVI I. ab ERICO TEGEL conscriptam, p. 3. Alii vero an. 1515. ejus imperio designant.

ERICUS GEORGII, Eques, ab administratore regni, SVANTONE STURE, Satrapa factus 1505. g) IVARUS FLEMMING, de Sundholm, Eques auratus, Senator Regni, & Gubernator Alandiae 1529. De injuriis, ab hoc viro sibi illatis, coram rege glor. memor., GUSTAVO I, in Alandiam 1530. profecto, conquesti sunt incolae: qui tamen postmodum, causa ab Senatoribus regni CANUTO ANDREAE, & PETRO ERLANDI, huc missis, examinata, omni culpa liberatus est. Mansit itaque regionis praefectus ad an. 1537. quo ea, partim necessitatis, cum calx inde & ligna arci Holmensi subministranda essent, partim voluptatis, ex venatione hic capiendae, causa, regiis usibus addicta est per literas GUSVAVI I., datas die 19. Martii 1537. b)

NICOLAUS ERICI, praefectus hujus regionis & his temporibus annumerandus est, quamquam certus imperio ejus definiri annus nequeat. i) OLAVUS TOTTE, ad annum usque 1546. Alandiam administravit. k)

Neque heic omnino praetereundum censemus, Alandiam, una cum Ducatu Finlandiae, Principi JOHANNI, alteri filiorum GUSTAVI I., quem postea regem Sveciae vidit, assignatam fuisse a: 1556. Inde ad Viduam GUSTAVI I. serenissimam, CATHARINAM STENBOCK, potestas & imperium

g) Sched. Palmiskiöld. m. ff. b) Acta Palmiskiöldiana, Histor. Tegels, nec non literae Stiernmanni. i) Acta Palmisk. k) Vid. Registrum Regni.

perium hujus regionis pervenit, in cujus ditio-
ne ab a:o 1561. ad 1603. permanfit. l) Qua de
re plura fequens §. dabit.

SALMUND ILLE, Caftelholmiam tenuit 1599.
quo tempore CAROLUS IX. Rex, eam occu-
pavit, (conf. §. VII.) Conjugem habuit *Annam*
Finke. Haec vero familia *Illeana* jam emortua
eft. m)

JÖRAN WULFSTORP, praefectus Caftelhol-
menfis A:o 1612. Cujus uxor fuit *Magdalena*
Farensback. n)

Ultimo denique loco commemorandus
eft STELLANUS MÖRNER, de *Zellin, Clos-
sau, Tuna & Högsäter*, supremus Venator re-
gni, ut & Gubernator Alandiae 1622. Idem hic
1634. Norlandiae Occidentali, & poft quadrien-
nium univerfae Svionum *Lapponiae* praefectus fuit.
Thori lociam fibi elegerat *Mariam* de *Grynau*,
Georgii filiam. Omnium vero tuae familiae hic
primus erat, qui in Svecia habitabat: Patre BAL-
THASARE MÖRNER, de *Zellin & Cloffau*, Chi-
liarcha Caefareo, progenitus. o)

§. VII.

De arce ipfa Caftelholmienfi ejusque fatiſ.

Postulat nunc ordinis & instituti ratio, ut
post.

l) Haec eft ſententia *Peringskiöldii*, *Mon. Uleråkerens.*
p. 63. 64. Videtur tamen Regina haec Alandiam ſola non re-
tinuiſſe ultimo decennio, ſiquidem *Salmund Ille* 1599 *Ca-
ſtelholmiam* occupavit, & JOHANNES, Filius regis JOHAN-
NIS III., ex *Gunila Bielke*, Comes Alandiae declaratus
legitur 1590. die 7. Julii. Vid. *Teſtam. Reg. Joh. de a:o 1590.*
(m, n) *Conf. Lit. Stiernmanni.* o) *Ex lit. Stiernmanni.*

postquam de Gubernatoribus, quorum imperio Alandia floruit, vidimus, ipsam quoque sedem eorum contemplemur, arcem Castelholmensem. Cum tribus omnino regibus, ut vocantur, praediis (vulgo *Kongsgårdar*) Alandia gaudeat, solum hoc tamen & unicum regionis totius castellum est, peramoeno loco, in peninsula quadam paroeciae *Sunden/sis*, ad viam regiam sita, ex coctili latere exstructum. Lapidea olim turri sublimis haec arx, omnem nunc non intus modo ornatum, sed ipsum quoque tectum amisit. a) Solas adhuc retinet ex pristina magnificentia tristes reliquias, muros ingentes, ruinam & ipsos minitantes, & vario avium infaustarum generi horrida receptacula praebentes. Certus auctor arcis hujus ignoratur. Quantum autem conjectura assequimur, a BIRGERO JARL condita fuit, cui originem arx quoque Holmensis debet. Is enim iter in Finlandiam & Tavastiam facturus, hoc castellum eo consilio erexisse creditur, partim ut praesidio insulae esset, partim ut in propinquo ipse haberet, quo fugam capefferet, si minus prospere cogitatum in Fennones bellum cessisset. Varia autem Castelli hujus fortuna fuit. Primum enim a CAROLO, qui ea tempestate interregno praecerat, a:o 1440. occupatum est. b) Praedio dein

a) Pars tamen jam restaurata, in usum aerarii atque condendae ex Alandia frugis (magazin). b) vid. *Moesenii Scand. illustr.* Tom. 15. p. 26.

dein locupletissimo donatum, c) non solum ERICI JOHANNIS, Gubernatoris Alandiae, (de quo supra) sed filii quoque ejus, GUSTAVI, praesentia nobilitavit, quem, puerum adhuc, apud patrem ibi commoratum fuisse, ex historia Ejus, a TEGEL conscripta, colligi videtur posse. Hic postmodum tertiae Conjugi suae, CATHARINAE STENBOCK, cum Alandia Castelhölmiam quoque possidendam donavit; quo illa, mortuo rege, & sceptris admoto filiorum natu maximo, ERICO, se contulit, eamque per annos 42 tenuit, donec A:o 1603, die 10. Sept. cum arce, *Drottningholm*, commutata haec possessio fuit, sede tamen reginae in *Serömsholm* constituta. Cujus rei testem habemus PERINGSKIÖLDIUM. d) In arce hac angustum conclave ostenditur, parvula quadam apertura exiguam lucem admittens, *Kong ERICKS Kammare* appellatum, ubi ERICUS Rex, throno dejectus, & Abba Castelhölmiam ductus 1571, mense Quintili, inclusus aliquamdiu fuit: unde jussu fratris, JOHANNIS III, Regis, *Gripshölmiam* translatus 1572. cum in carcere novem annos consumisset, in arce demum *Drebyensi* infelicem vitam finiit. e) Post haec circa annum 1599. Castellanus

C 2

nus

c) Praedium Castelhölmense constat 12. portion. vivilibus.
 d) In *Ulleråkerens. supra cit. p. 63. 64. Conferatur narratio* hac de re in *Regia Cancellaria.* e) *Vid. ad Å Palmesk. & Registr. regni 1571. ubi tres habentur literae regis JOHANNIS III, ad custodes corporis, de diligenti ejus cura.*

nus quidam, *Salmund* Ille dictus, de quo supra, Castrolholmiam tenuit, f) in gratiam SIGISMUNDI, quem imperio jam Ordines Regni exuerant, Sed cum immortalis memoriae, CAROLUS IX, eo tempore Dux Sudermannorum, ex Svecia deinde ad arcem expugnandam advenisset, eaque ab occidente crebris tormentorum ictibus premeretur, adhuc tamen *Salm.* Ille obsidionem ferre decreverat, adeo non externo periculo perterritus, ut in altera arcis parte ludis quoque inter amicos animum daret, donec a transfuga edoctus CAROLUS, orientem versus in edito colle, *Stallbacken* dicto, tormenta collocaret. Quo facto, mox primo ictu trajectum Ille ipsius conclave g) eum ad deditonem compulit. Qui cum in potestatem CAROLI venisset, suspensis militibus, ipse nefas tantum sanguine suo expiavit Aboae. h) Aliud fatum Castrolholmiae, quod a: 1433, accidit, Auctor Chronici Rhythmici majoris i) sic describit:

*Un reste han (Eric Puke) sin här,
Med Österlänningar ock them, som bodde thär,
Han satte them en Höfwitsman,*

Joan

f) Fertur pastorem loci, Ekroterum, accedere jussum, intrepida mente Chiliarchae factum exprobrasse, & ultoris CAROLI maturum adventum denuntiasse. Ex actis templi Sündensis. g) Globi adhuc vestigium conspicitur ea parte, qua Vultur nus spirat. Ipse etiam globus in Sündby prope Castrolholmiam superest, duarum librarum pondere gravis, & cubitum circuitu complectens. h) Lit. Stiernm. i) Edit. Hadorph: p. 194.

Joan Folkeson swa het han,
 Ibesse foro till aaland,
 Ther gick them wäl i hand,
 Alla Alendinga han sammankallade,
 Kastellaholin han straxt bestallade,
 Thet slottet hade i thet sinne,
 Fru Yda en utlänsk quinna,
 Bättre Konungen henne trodde,
 An naken then i Swerige bodde;
 Thet war nu Swenskom til spott,
 At quinna skulle råda riksens slott,
 Then fogde thet af Henne bade,
 Tå the Swenske thet belade,
 Otto Pouvisk swa het han,
 Stort at tala han wäl kan,
 Förre lat han ingen wara sin like,
 För tre mente han icke wika,
 Genstan han saa ther the Finne,
 Hån råddis the wille Slottet winna,
 För handbuge ock budsko,
 Torde han ej hålla fästet tho,
 Han bad för Guds skull unna sik leswa,
 Han wille them giärna slottet gifwa,
 Joan Folkeson fick fästet tå,
 Till Eric Pukes hand hölt han thet swa.

Accidit haec Castellholmiae obsidio tempore ERI-
 CI Pomerani, qui eam potestati feminae cujus-
 dam, Ydae Königsmarck, permiserat, Svecos in-
 dignis tractare modis, atque ad praecipua regni
 munia peregrinos admittere solitus. Cum vero

ENGELBERTUS, ingenti vir animo, armis demum captis, de fastigiis, quae iniquissime ascenderant, exteros dejecisset, atque in partes suas ERICUM PUKE, Bothniae borealis praefectum, adduxisset, hic (PUKE) collecto exercitu, ei JOHANNEM FOLKONIS praefecit, cujus auspicio occupatam dein Castelholmiam narrant adducta nuper carmina. Conferatur JOHAN. MAGNUS. k) Annus MDVII. gravissimum huic arci casum & exitium suum attulit. Quo enim tempore de regno certamen JOHANNI, regi Daniae, cum SVANTONE STURE intercedebat, dies Martis, qui sacram Jacobo lucem sequitur, immissa a Danis flamma, cineres Castellii hujus, longo tempore celebris, tristi spectaculo vidit. l) Ultimo nec praetereundum, quod 1644. aedificia lignea omnia ad Castelholmiam incendio infausito conflagrarint. m)

§. VIII.

Portus Alandiae celebriores recenset.

Alandiam, in medio fere mari positam, circum flui sinus, *Bothnicus & Finnicus*, cum ipso mari Baltico conjuncti, ingentibus undis, atque inter murmura & fragores perpetuos quasi pugnantibus, undique premunt. Eaque est undarum, in angustiis hinc veluti luctantium, agitatio, ut mare Alandicum, nonnisi vehementissima

k) *Libr. 22. Cap. 13.* l) *Vid. aëta Palmisk. mss. & Puffendorphii Inledning til Svenska Historien p. 268.* m) *Registr. regni 1660. fol. 496.*

ma frigoris vi glacie duretur, a) & ter solum, nostra memoria, gelu adstrictum fuerit, annis scilicet 1677. 1709. & 1719: b) Haec tumentium fluctuum iactatio crebra navigantibus pericula creare solet, magis adhuc timenda, nisi in propinquo natura afflictis navibus stationes collocasset, ubi ab ira concitati maris tutae quiescere possent. Varios enim Alandia portus subministrat, non incolis modo ipsis, sed ex Finlandia etiam, Nylandia, Carelia & Ostrobothnia, Holmiam navigantibus opportunos. Hinc RUDBECKIUS: *Opportunitates, inquit, singulares sinuosa Alaniae ac Finniae litora offerunt praeternavigantibus, quas neque Sveonia & Norvegia, neque forsitan alia orbis regio penes se inveniat.* c) Et alio in loco: *Alandia insula opportuna ad Fennoniam, Russiam & Estoniam proficiscentibus. Ibi majores nostri ad expeditiones maritimas convenire solebant.* d) Portus autem hoc tempore celebriores sunt: a meridie, Nyhamn & Rödhamn, vulgo Nyan ock Rödån, qui in vasto mari jacent: continenti Alandiae propius, Granhamn, Flisöberg, e) Bergösund, Leefsundet, Engösund & Lumparsund. Occidentem versus, Marsund & Bmskårsund. Ab oriente, Bomarund, quo etiam referri potest sinus, Färjesund dictus

a) Confer. Rudb. Atlant. Tom. 3. p. 648. b) Alandi, maris accolae, observarunt id anno quovis decimo fortius congelari, ex. gr. 1709. 1719. &c. c) Atlant. Tom. 1. p. 622. d) Idem tom. p. 324 326. 336. e) Circa hunc portum, pugna quaedam navalis 1714. facta inter Svecos & Moscovitas.

dictus, qui mediam fere Alandiam interfecat. Neque hic omnino sunt praetereundi alii nonnulli, quorum in albis praecipue vetustis (Jordböckren) & RUDBECKII Atlantide, mentio tacta deprehenditur, utpote: *Fomala ön*, in parocia *Fomala*, quae & regis insula nuncupatur, ob regiarum in ea navium stationem; *Hamneudden*, *Varghamn*, *Vargesund*, *Smieby*, *Ingeby*, in *Hammarland*, *Nipseby*: in parocia *Fögen*, *Askerholm*, in *Saltvik*, *Asgarda* regum villa, in *Finström*, *Sneckö* seu *Sneckhamn*; quorum celebris mentio fit apud plerosque expeditionum nostrarum in Muscoviam scriptores. f) Quorum alii hodie ignorantur, ut *Varghamn*, *Smieby*, *Fögen*, *Askerholm*, *Asgarda* &c. Alii remotiores a mari sunt, quam ut portuum nomen tueri possint.

SECTIO POSTERIOR SPECIALIS.

§. I.

De Paroecia Sundensi.

Inter paroecias primo loco *Sundensem* collocamus, adducti auctoritate Nobiliss. PALMSKIÖLDII, a) & serie in albis obvia. Huic quoque praecipuam dignitatem & inter ceteras principatum arx *Castelholmen* conciliavit, quae a templo *Sundensi* non ultra quartam milliaris partem distat. A fretis vero eam interfecantibus

f) Tom. 3. p. 327. a) Series paroeciarum Alandiae albis vetustis conformis habetur in actis ejus mss.

tibus nomen accepisse, nemini, locorum perito, ignotum esse potest. Templum habet rudi saxo constructum, quod in loco edito & peramoeno positum, & Johannis nomine insignitum, insulae totius maximum pulcherrimumque censetur. *b)* Ei lapideam turrin, excelsam satis, adjecit liberalitas Serenissimae Reginae, GUSTAVII. Viduae, quo tempore Castelholmiam potestate sua tenuerat. Sed non unum hoc ejus pietatis & amoris, quo religionem & res divinas complectebatur, documentum fuit. Cum enim more ejus aetatis, equo advecta, sacris templi hujus assidue interesset, *c)* id egregia etiam campana donavit, quae 1678 igne liquefacta, regiis sumtibus ad pristinam formam auctior rediit 1685. *d)* Bis omnino triste fatum sacra haec aedes experta est. Primum quidem cum A:o 1678. d. 26. Julii, ictu fulmineo, non tectum modo superius ligneum, sed interior quoque ornatus omnis, misere conflagrarent.

D

Alteram

b) De templo Sundensi memorabile est, quod aequet omnino magnitudinem Sancti sanctorum in templo Hierosolymitano. 60. enim ulnarum longitudinem & 30. Uln. latitudinem complectitur secundum descriptionem Nobilisc. Perringköldii, in Geneal. ejus Biblica. p. 88. *c)* Unde hodiernum prope templum elegans quidam lapis ostenditur, quem Reginae huic pro scabello inserviisse ferunt, qui adhuc etiam Drottningsten appellatur. *d)* Una hic tantum campana conspicitur, uti in reliquis Alandiae paroeciis. Altera tempore irruptionum Muscoviticarum cum ceteris utensilibus sacris in Sveciam deportanda, in via, hostium praeda facta est.

Alteram cladem Muscovitarum saevitia attulit; quae A:o 1714. coepta, & per annos dein septem saepius repetita, cum organo pneumatico reliqua etiam templi decora diripuit. Rei tamen Divinae exercitio servire iterum coepit 1722. Dom. X post Trinitatis. Ustensilia autem, & vestes sacras, quae proximo bello perierant, pretiosas admodum, suis maxime sumptibus restituit, Pastor quondam hujus Ecclesiae dignissimus, beatus Magist. *Kiellin*, mortuus A:o 1737. e) Supra aram hic eminent tabula, sculptoris ingenio affabre facta, cujus suprema pars, pelicanum auro inductum exhibet, ex proprio vulnere salutarem sanguinem in pullos suos fundentem. In medio statua nitet Divae virginis Mariae, mundi Salvatorem amplectentis, quam utrinque XII. Apostolorum aliorumque sanctae imagines stipant f) Non procul a templo conspicitur sedes Pastoris ecclesiae, amoeno loco posita, in cujus vicinia plurimi sunt colles sepulcrales, nostris *ättebackar*, g) quales & alibi

e) In his est mappa altaris elegantissima, auro argenteoque distincta, Serenissimae olim Reginae *ULDARICAE ELEONORAE, CAROLI XI. Conjugis*, donum. Nec praerereundus est calix argenteus, auro inductus, tantae magnitudinis, ut ei par alibi aegre inveniat. (*innehåller något mera än et stop och väger 97. $\frac{1}{2}$ lod.*) Tegumenta etiam calicis hic deprehenduntur pretiosissime elaborata, quibus intexta est corona spinea, sanctissimi Salvatoris nomine decorata. f) Apostoli una manu suum quisque mortis instrumentum tenent, altera scripturam, verba quaedam symboli Apostol. ordine continentem. g) Ex collibus istis urnae Sepulcrales saepius effossae sunt.

alibi passim in hac regione inveni, cippis munitos. Lapidés vero, runis sculptos, quamvis anxio labore quaesitos, nullos ibi adhuc videre mihi licuit. Scholam quoque haec paroecia continet, a paroecia *Salvik* huc translata A:o 1692., ubi ludimagister unus pueris informandis praeest. Prope hinc in silva mons eminent, *Kenberget* dictus, ubi speluncam ad domus similitudinem natura efformavit, clandestinum incolarum quorundam, inter Danicos, pariter & Muscoviticos metus, receptaculum; donec proditore fumo deprehensi omnes, & in captivitatem abducti sunt. Digna hic quoque est, quae commemoretur, mira Erythrophthalmorum (*Idar*) copia, quorum in torrente *Gloë* plura quoque millia brevissimo tempore capiuntur. b) Salutaribus etiam aquis haec terra scaturit, quas 1736. in prato quodam, ad pastoris villam sito, a me inventas, elegantissimo aedificio circumdedit ea tempestate Pastor, beat. mem. Kiellin. Earum dein virtutem multorum hominum salus comprobavit.

Ecclesiae Sundensi annexa est *Wårdö*, & ab ea dum milliarium spatio distat. Plures haec insulas complectitur, quarum praecipua est *Wårdö*, cui impositum templum lapideum, S. *OLAVI* nomen gerit. Vel ipsum insulae nomen ostendit, eam custodum excubiis serviisse, qui advenientem e longinquo hostem prospicere, & destina-

D 2

tam

b) Quo tempore lasciviunt, una hora matutina erythrophthalmorum circiter sex mille haec captos fuisse ipse vidi,

tam vim mature indicare deberent. Quem in finem signa quoque bellica (*Vård Kasar*) erexerunt, qualia ibi ad nostra usque tempora fuisse audivimus, & hodiernum in aliis etiam oris patriae maritimis locata conspiciamus. Utenfilibus sacris templi *Wårdöensis* in bello *Ruffico* amissis, nova idem ille, cujus antea mentio facta est, Pastor substituit, *Sundensibus* plane similia. Denique inprimis commendanda est insula ad annexam hanc pertinens, *Löfön* appellata, quae proximo bello inclaruit, cum ibi de pace *Svecos* inter & *Mulcovitas* agi coeptum. Quamvis enim ea res minus prospere, graves ob rationes, tempore autumnali 1719. desineret, in *Nyftadium* *Finlandiae* dein translata, diu tamen consultatio illa hic viguit, quo tempore plurima aedificia partim nova exstructa, partim ex vicinis transvecta parocciis, loco illi urbis haud contemnendae speciem conciliarunt. Duas enim aulas exaedificarunt, unam *Svecorum*, *Ruslorum* alteram. Inter quas media aedes pulcherrima intercesserat, *Legatorum* utrinque deliberationibus inservitura. Cujus rei descriptionem, a Pastore *KIELLIN* datam, & forte non ingratham futuram, heic subjungimus. i)

§. II.

i) *Svenska hofvet anlagt i Söder, ock dess bårggård var i längden 160 alnar ock i bredden belften, hade 3 portar. I Söder var, S. Tit., Herr Gref CARL GILLENBORGS rum ock Cancelliet. I Væstra flygeln S. T. Herr Gref LILIENSTEDTS, sedan predikesäten med utgång til stora trågården; så stora matsalen 8. Kantig, Görzes rum &c. alt med stora dubbla fensher. I den Östra Cavallerernas matsal, Corps de*

De Paroecia Saltvikensi.

Unde haec paroecia nomen sortita sit, non facile est dictu, nisi a sinu maris falsi, a) qui heic ab Aquilone se immittit, id quod prae se ferre vox ipsa videtur, appellatam existimemus. Saxeum templum parva turris ornat, intus egregie pictum, & Biblicis maxime historiis, patrumque imaginibus distinctum. Tabula, supra altare suspensa, debetur munificentiae nobiliss. Haraldii Fothangel, ejus nomen & insigne repetitis vicibus in hoc templo apparent. Inter antiquitatis reliquias merito referendus est calix hic servatus, qui insculpta, stilo monachali, haec verba gerit:

De vera vite fert hoc vas pocula vitae:

& infra A:o D:ni 1346. hunc calicem fecit Tirelaus Aboensis, ecclesiae Svec Saltvik. In patella: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedic. Haec paroecia alteram continet villam regiam, Haga, quae nuper servi ejusdam scelere conflagravit.

D. 3

E. re-

Gvardie, rum för Officerarne ock Soldaterna med mera, som för långt woro at beskrifva. Ryska hofvet i Norr anlagt, des borggård innehölt i lengden 162. alm., i bredden 150., och hade 4. portar. Dörarna uti norra ock Södra flygelen, woro gent emot hwar andra, at när de uplåtes, kunde man se igendom alla rummen. Ryska Generalernas S. T. Brusens ock Ostermans rum woro präcktige, med stora 3. dubla fenster; här woro ock många betienters rum, såsom i Svenska hofvet, men Ryska Kyrkan ute på fältet, utan fenster, efter der brukats lius. a) Magna heic copia arsenae quotannis capitur.

E regione Sundensis ecclesiae, excelsa hic petra conspicitur, (*Borgen*) undique praeceps & abrupta, circuitu 300, altitudine 100. cubitos continens. Muri ipsa quoque fragmenta adhuc ostendunt, ingens quondam opus ibi susceptum fuisse, irruptionibus hostium, ante exstructam Castrolholmiam, forte oppositum. Hinc unica solum, eaque perangusta semita aditur.

§. III.

De Paroecia Finströmensi.

Paroecia Finströmensis in medio fere sinu Alandiae posita est. De nominis ejus origine antiqua haec traditio percrebuit: solitos olim Fennones, per freta quaedam, hanc paroeciam intersecantia, naviculis Holmiam adire, facto itinere per portum *Danö*, a) *Svartsmaraström*, *Emkarbytrask* & *Öviken*, quae loca, ut alia plurima, mari Baltico propinqua, hodie aqua destituit. b) Hos autem aliquando hostili animo accedentes, cum invadere vicinas terras, & furtivam praedam agere coepissent, graves injuriae poenas dedisse. Coactam quippe Alandorum multitudinem, lembis dissectis, trucidatos quoque Fennos in flumen projecisse. Inde factum, ut non fluvius modo, sed tota quoque paroecia, nomen *Finström* acceperit: haut aliter ac paroecia *Danmarck*, prope Upla-

a) Ibi rusticus pridem invenit poculam stanneam (tenstop) varii generis nummis impletum, qua maximam partem STURIORUM. b) Hinc in fretis illis varia navicularum fragmenta reperta sunt.

Uplalam, a clade Danorum, quorum consecrata templo spolia sunt, appellationem nacta est. c) Templum *Finströmensē* totum, qua turrim etiam, lapide constat, d) ex interiori facie ac suggestus pulchritudine in primis commendandum. e) Non procul hinc tertia abest villa regia, *Grelsby*, hyberno potissimum tempore ingenti piscium multitudine dives. Ad pagum *Godby* circumjecti agri variis tument sepulcralibus tumulis. Hic quoque excelsus quidam & praeceps collis (*Färgbacken*) conspicitur, qui viae regiae subjectus, per se nitentibus, arduum maxime iter efficit. Annexa huic ecclesiae *Geta* audit, quam a *Gothis* forte, *Getisve* dictam auguror. f) Quo tempore veram religionem Svecia acceperat, proprium haec Pastorem habuit, *Beronem Laurentii*. cuius inter eos nomen invenitur, qui ex Clero Alandiae Concilio Uplaliensi subscripserunt. A Septentrione hanc paroeciam finiunt excelsi montes, (*Getaberg*)

c) Vid. PERINGSKI *SLDS* mon. Upl. Tiund. p. 269.

d) Turrim hanc egregia quaedam campana ornat, haec ita pridem constata, cum hac inscriptione:

At jag så stor til kropp ock stark til liudet blifwit,

Har socknens heders män ansenligt bär til gifwit.

e) Inter monumenta, quae non minimam huic templo elegantiam conciliant, conditorium est Professoris olim Eloqui ad Acad. Aboëns. celeberr. Christierni Alandri.

Ubi in Suggestum ascenditur lapis est cui haec incisa: X S. 602. Par etiam huius invenitur circa portum Dånö, ubi coemiterium est nautarum. f) Hinc duo ibi sunt pagi quorum unus *Östgeta*, alter *Vestgeta* etiamnum audit.

berg) ex Bothnia Orientali praeternavigantibus
 ipsis quoque periculis notissimi.

§. IV.

De paroecia Hammarlandensi.

Hammarlandensem paroeciam, Occidenti soli,
 adeoque Sveciae proximam, a *Finströmensi* pons
 & sinus *Biärström* dividunt. A portuum frequen-
 tia nomen accepisse videtur. Naves enim, A-
 landiam petentes, prima excipit, inde *Hammar-*
land vel *Hammaland* dicta, quasi *landet bwarest the*
hamna. Neque solum tabellariis publicis in *E-*
kerön, sed aliis etiam per Alandicum mare navi-
 gantibus, in *Marsund*, alibique, requiem praebet.
 Templum nostra habet, aequae ac reliquae, rudi
 lapide constructum & turri ornatum, cujus in
 muro, circa initium hujus seculi perfosso, in-
 venta sunt corporis humani ossa, extensis brachiis
 supina. Cujus autem hae sint exuviae, & quo
 ibi consilio locatae, nondum constat. Nisi forte
 patronus quidam ecclesiae hoc sepulturae genus
 expetierit, more non dissimili, quo ossa *Ingridis*
Ylvæ, matris *BIRGERI JARLI*, muro templi
Bielboënsis in *Ostrogothia* credita sunt. In cam-
 pis, Pastoris villae adjacentibus, frequentes tu-
 muli conspiciuntur. Ecclesiae huic annexa, *Ekerö*,
 indeque interjecto freto, *Marsund*, separata, la-
 pideo templo gaudet. Incolae ejus omnes publi-
 ci sunt tabellarii, qui literas ex *Russia*, *Finlandia*,
 aliisque locis australibus venientes, semel quavis
 hebdomade, ab *Ekerön* per mare Alandicum,
 septem,

septem miliarium itinere, ad *Grislehamn* deportant; a) unde porro ex paroecia *Weddöens* tabellarii literas, *Holmia*, quolibet die Saturni, accedentes, ad oras *Ekeröenses* adferunt. Mira est *Ekeröensium* in praedicendis tempestatibus sagacitas. Rarissime enim eorum hac de re auguria, ex ventorum, undarum, nubium indole, aliisque signis petita, fallunt. Quam notitiam partim ex majorum institutione, partim proprio usu & navigandi experientia hauserunt. A meridie *Sacelli* sinus est (*Skepsviken*) ubi ante aliquot lustra exstitisse officinam, coquendo sali servientem, adhuc testantur non solum superstites muri, sed lebetum quoque aliorumque instrumentorum reliquiae. Ob nimiam vero silvarum stragem eam postmodum desisse, auctor etiam est vir *Ampl. ANDR. BACHMANSON*. b)

§. V.

De paroecia Jomalensi.

Templum *Jomalense* laxo exstructum, & saepius

E

a) *Quod etiam Celeberr. RUDBECKIUS* suo tempore annotavit in *Atlant. Tom. 3. p. 327.* Item *Nobiliss. PALMSKIÖLDIUS* hisce verbis: *Ekerö boerna på Åland hafwa i anseende til den stora möda, hwarmed the om höst ock wår, resande Folck måste öfwerföra, blifwit af Sweriges Konungar befriade för utlagor, emot then gästning the hafwa af Cronones Folck ock andre resande. Men sedan äro the wordne fria för sådana öfwerförslor ock gästningar, ock föra alenast den ordjnera Finska Posten, ock få i öfrigit betalning för dem de öfwerföra. Cfr. Regist. Regni, pars I. fol. 787. (Nu för tiden få de afräkning på sina utlagor för Post förslen.)* b) *In arcanis Oeconom. & Comm. Tom. 1. Cap. 12.*

saepius auctum, turri etiam superbit. Ob loci, in quo situm est, eminentiam fit, ut e longinquo ultra trium milliarium spatium a navigantibus conspiciatur, & phari cujusdam similitudinem & usum praebet. A viris fide dignis accepimus, Fennones heic olim Deum suum marinum, *Jomala*, coluisse, eique spe felicitis navigationis lauta obtulisse munera, id quod cum sententia BUNGII a) vid. §. III. sect. 1. de idolo Biarmorum, *Jomala*, conspirat. Haec si vera sunt, non anxie quaerenda ratio est, cur ipsa quoque paroecia *Jomalensis* audiat. Ei quamvis nulla sit annexa, ceteras tamen hujus regionis magnitudine antecellit, & plerumque sedem Praepositis Alandiae, eo etiam tempore, quo Lutherana facta est Svecia, praebuit. Hinc quoque ob difficilem, hiemali potissimum tempore, in Finlandiam transitum, congressus Cleri Alandiae ab Episcopis Aboënsibus in templo hoc *Jomalensi* habitus est. Id quod *Vasae* etiam, & *Uloae* in Ostrobothnia factum constat. Porro *Jomalenses*, a meridie habitantes, & Oceano propiores, brevissimo tempore *Holmiam* adire possunt: ventorum enim favore adjutis diei quoque spatium huic itineri perficiendo nimium est.

§. VI.

De paroecia Lemlandensi.

Paroecia *Lemlandensis* a *Jomalensi* parvo a
mne,

a) In *Hist. Eccles. Sveogoth.* p. 267.

mne, *Lemström* appellato, dividitur, qui arte o-
 lim navigabilis factus, praecipuam colonis ex
Sund, *Saltvik*, & *Finström* navigantibus, utilitatem
 praestitit, quos brevissimo itinere in mare admi-
 fit, nonnisi longo alioquin anfractu, per *Engö-
 fund* & *Ledsundet*, illuc perventuros. Jam vero
 hunc locum fugitivae veluti & quotidie decre-
 scentes Baltici maris undae ita deseruerunt, ut
 vix lintres & lembos patiat. Templo, quod
 rudi saxo exstructum turri eminent, non parum
 ornamentum adfert conditorium quoddam, orien-
 tem spectans, cineri Praefecti classis sive Admi-
 ralis, BERGENSTIERNNA, (cui ante concessum
 jus imaginum BERG nomen fuit) & Conjugis e-
 jus, Christinae Petri, dicatum. a) Paroecia haec,
 meridiem versus, ad mare se extendit, portuum
 inde frequentia celebris. Quos inter est *Nyhamn*,
 clarus infortunio Legati Russorum, *Dolgoruki*,
 qui A:o 1736., gravi tempestate noctu coorta,
 fractaque navi, ingentem ibi pretiosissimarum
 rerum jacturam fecit. Non procul hinc abest
 portus ille *Flaka*, ubi CATHARINA, Vidua glor.
 mem. GUSTAVI I, in loco, undique venturis
 navibus commodo, urbem condere statuit, cu-
 jus adhuc vestigia quaedam apparent. Sed pre-
 cibus *Stockholmensium* fatigata, qui videbant novam

E 2

hanc

a) *Bergensstiernianae liberalitatis plurima documenta
 exstant, & totidem templi hujus ornamenta, tabula altaris,
 candelabrum, Lychnus, ex aurichalco constatus; vasa denique
 argentea & vestes sacrae.*

hanc urbem magno sibi fore detrimento, ab incepto destitit. b) In monte, ad pagum *Lemböt* sito, antiqui cujusdam sacelli, quod *S. Olofs capell* appellatum fuerit, rudera supersunt. Annexa huic ecclesiae *Lumparland* audit, cui adjacens maris finus, *Lumparn*, nomen dedit. Inter cineres prioris templi, ab hostibus proximo bello deleti, novum deinde surrexit.

§. VII.

De paroecia Fogelensi.

Paroecia Fögelensis seu *Föglöensis*, cum annexis *Kiökar* & *Sottunge*, plures complectitur insulas, quae longo itinere, meridiem versus & orientem, a reliqua Alandia se extendunt. Vocem *Föglö*, ex *fägel* & *ö* descendere manifestum est: *Föglö* enim & *Fögel* promiscue appellatur, idque ob multitudinem avium, imprimis maritimarum, quae insulas haec tanto murmure interstrepunt, ut praeternavigantibus aurium fere usum adimant. Templum Föglöense saxo constat. Ejus interior ornatus & tectum ipsum postquam saevitia Muscovitarum perierat, publicis ex universo imperio collectis sumptibus instaurata sunt. Bina haec paroecia habet lignea sacella, quorum unum, propius distans, *Sottunge* dicitur, ideo potissimum memorabile, quod oram hanc, ob nominis affinitatem, scopulos esse *SOIASKÄR*,

b) Vid. Bångii *Histor. Eccles.* p. 298.

in HERVARA Saga VERELII p. 71. a) & OLAVS Saga p. 21. nonnulli suspicentur. Qui proinde verba illa, sigillo nostro territoriali insculpta: *Staozar Swio*, explicant per *Stotaskärs wik*, unde nomen Olaus ille traxerit. Nobis vero non satis hæc firma opinio videtur, consentiente VERELIO in notis. Qua de re sententiam nostram jam ante aperuimus, Sect. I. §. V. Alterum paroeciae hujus Sacellum *Kiökar* appellatur, insulae *Hammö* impositum, quae in vasto mari meridiem versus sita, a *Föglö* trium miliarium spatium separatur. Rudera hic apparent antiqui cujusdam monasterii, saxo extracti: quod fuisse puto coenobium illud *Corcense*, virginum in A-landia, ab Episcopo, *Berone Balk*, A:o 1400, fundatum, ut auctor nobis est VASTOVIUS. b) In coenobio hoc vixisse pariter & sepultum esse traditur quendam, *belig Per diekne*, cujus ad nostra usque tempora hunc in sensum vaticinatio manavit: *cum terra saxum, tumulo ejus impositum,*

6012-

a) Auster vid sota. Quod celeberrimus Verelius in notis ad Histor. Hervarae p. 79. confert cum historia Olavi loco supra citato, cumque eadem historia contractiore cap. 9; quod ita sint appellati a Sote quodam, qui piratis praefuerit: concludit deinde vocem hanc descendere, non a Sotone, sed a Sotholm, praedio regio, unde tractus ille maritimus Sotholms Lahn vel härad hodie dicitur, continens IV. hasce paroecias, Vesterhaninge, Vesterhaninge, Ösmo & Sorunda. b) In Vite Aquilon. & catalogo monasteriorum Sueciae. Cfr. Reverendiss. SPEGELII Chronicon Eccles.

contexisset, non longe interitam orbis hujus abfuturum. Hodie vero non nisi extremam lapidis partem apparere, oculorum fide comprobatum est. c) Scopulo cuidam Kiökarensi impositum quondam fuisse emporium vel castellum, Esthonibus, Livonibus ac Curlandis objectum, refert BÄNGIUS, d) quodque ibi reperiantur pretiosi lapides, item alii, variis characteribus sculpti, sed hi nunc omnes undis marinis tecti. Hic quoque Futskär conspicitur, cui loco viri Alandi, fide digni, narrarunt natam appellationem fuisse ex tribus Danorum navibus, inimico consilio accedentibus, quas, cum hic aliquantulum jactis anchoris morarentur, adnatantes nocturno tempore animosi quidam Kiökarenses, terebris perforatas merlerint, & insulam suam adeo imminente periculo liberarint. e)

§. VIII.

De paroecia Kumblingensi.

Orientem *kumblingensis* paroecia spectat, Finlandiae proxima. Alandicarum haec minima est, & lapideo templo gaudet, cujus vestibulum geminas Papiismi reliquias, muro infixas, continet,

c) Totam quidem Alandiam peragrare singulasque paroecias oculis perlustrare studui, annexam tamen Kiökär, ob difficiliorem aditum non attigi, quinque enim milliariibus a reliquis per vastum mare sejungitur. d) Histor. Eccles. p. 298. e) Quod etiam testatur Celeberr. antehac Professor Aboënsis, Christiern Alander, in Oratione quadam, Encomia & laudes districtus insularis maris Baltici complectente, Aboae habita 1677., ibique dein typis mandata.

net, ab una quidem parte vas, asperioni aquae consecratae dicatum; ab altera thuribulum. Hanc paroeciam nomen accepisse putamus a voce Svec. *Kumbel*, quae congeriem lapidum notat, seu figurum, loco naufragiis infami, ad avertenda navigantium pericula, positum. Qualia heic eo plus necessitatis habent, quo saepius publici tabellarii, quavis hebdomade in Finlandiam a) ituri, *Kumblingenses* hosce scopulos & latentes aras praetervehi debent. Ipsi etiam *Kumblingenses* ac *Vårdoenses*, pariter ac *Ekeröenses*, qui mare Alandicum trajiciunt, gravissima non raro nunc tempestatum, nunc subdolae & fallentis glaciei discrimina experiri consueverunt. Quamobrem ut signa ejusmodi, procul etiam de vitando periculo admonitura, erigantur, regio jussu eis imperatum est. Corylorum tanta heic copia crescit, ut ex avellanis decimae Pastoribus persolyantur. Ad pagum *Enklunge* mons quidam inventus est, ferri venis dives, quibus adhuc tamen ars deest b). Sacellum huic ecclesiae ligneum est, duobus hinc mill. remotum, & *Brandö* appellatum, quo, svadente

vel
 a) Plures sunt maris sinus (*Wattupass*) Alandiam inter Finniamque, alii quidem majores, ut *Dele*, trium miliarium spatium complectens, alii minores, quartam miliaris partem non superantes, qui in Finlandiam tendentibus magnum pariunt incommodum. b) Hic forsitan ille ipse mons est, de quo in Registro *GUSTAVI I.* lit. B. fol. 173. haec legi refert *Palmstiöldas*: *Ölands malmberg lönade intet mödan för än thet grå berget varder ther af rymdt.*

vel ipso nomine, non inepte referri posse videntur, quae de prisca gente *Varegorum* (Bränvargar) passim annales commemorant. c)

§. IX.

Clausula.

Plurima adhuc dicenda superessent: sed ab his deliciis nos nolentes jam revocat, & jucundissimi laboris invisam brevitatem imperat rei familiaris angustia. Reliqua igitur, ad historiam *Alandiae*, *Literariam* imprimis a) & *Naturalem*, pertinentia alteri curae reservare constituimus. Paucissima tamen, de incolarum pariter & ipsius terrae felici ingenio, non possumus quin addamus. Quam sit solum ipsum pingve, & pabuli ferax, ex pecorum abundantia existimari potest, quorum pariter ac casei butyrique magnam copiam quotannis Holmiam advehunt, ubi sua commercia instituire consueverunt. Caseus certe *Alandicus* lauto etiam palato in deliciis solet esse. Agrorum proventus, ob arborum angustiam, solis incolarum necessitatibus sufficit. Porro laboriosa gens piscatu, caedendis lignis, & navigatione victum quaerere solet. Impavidi quoque pericula adeunt. Hieme enim phocis marinis infidias

c) Vid. *Norske Kong Hagen Hagensons Histor.* ed. *Vorm.* p. 683. Conf. *P. Clausonii Descrip. Norv.* p. 3. § 11. item *Mag. J. G. Helsingii Disp. de Origine priscae Gentis Varegorum Aboae 1734.* a) Ubi simul de dialecto linguae *Suecanae*, *Alandis* familiari, nonnulla nobis dicenda sunt.

tidias facturi, plura etiam milliaria, per glaciem, remis in viam, lembos trahendo, in mare excurrere audent. Tacebo cetera imperterritae mentis indicia, quae inter medias saepe in vasto mari tempestates exiguae trahi salutem suam committunt. Lignorum copiam haec provincia maxime omnium urbi dominae, & arci Holmensi suppeditat. Nec cuiquam Alandorum, nisi venia prius impetrata, venalia civibus ligna exponere licet. Varii generis fera animalia silvae hic alunt. Ingens vero illa alcium multitudo, quae prius vulnerum, nisi a rege, secuta, per campos & saltus sublimis vagabatur, quo tempore gerebatur bellum cum Muscovitis, ad eam paucitatem redacta est, ut vel unam nunc vidisse, inter rara spectacula judicetur. Harum in locum veluti succedentia luporum agmina, qui heic rarissimi olim erant, facto per glaciem ex Finlandia transitu, non alces solum ex bello reliquas, avidae gulae & ventris sui praedas fecerunt, sed incolarum quoque pecoribus quotidiana fere damna inferunt. Herbae hic frequentes nascuntur, alibi rarius etiam obviae, quas in vivum, quod ajunt, herbarium, ipse collegi. Earum indicem posterior Dissertationis hujus pars Lectori exhibebit. Florum in hac insula proventum mirifice adjuvat circumflui maris vicinia, cujus humor solis calore tepefactus, terram semper rigat, nec sterilem esse patitur. Incolae regionis hujus ab ineunte aetate pelago advescunt, indeque praecipuam rei navalis peritiam hauriunt, ita ut cum furenti vento & fluctuum ira, difficilis altoqui lucta, eis paene ludus sit. Hinc in bellicosus usus ex tota Alandia conscribi nautae solent. Finem denique historiae huic imponam verbis MICH. WEXIONII GYLLENSTOLPE, in descriptione Sveciae; *sunt, inquit, Alandenses erga peregrinos liberales, erga superiores honorifici, cum aequalibus modesti, linguis vernaculis addicti, & in rebus maritimis experti & industrii.*

Til
Herr **AUCTOREN.**

Hur' länge I til Åland dragit
Och hislat segel på des fiö,
E'rt sinne blifwit så intagit
Af denna half-Swensk-Finska ö,
At ingen ring i Upland wanka
Thet Edart tycke kunnat nå.
Om detta år och blir min tanka,
At *ut-skärs alcid smaka må.*

Doch Åland kan ej utländskt wara;
Ther är ju Swenskt båd' folk ock strand?
Alan- och Rox-alaner fara
Med Swear bort i fierran land.
Ther theras hop sig wäldigt ökadt
Och längan tid ägdt fastan for;
I bardalek och härnad stökadt
Så ingen dyrfdes stå dem mot.

Til Ålands och E'r egen heder,
Min wän, I ansen ej beswär,
At skrifwå här om Ålands feder;
Om Castelholm och Signelskär.
E'r borde billigt Åland löna
För sådan wälberömlig flit.
*Men skall I lönen sent få röna,
Så blir E'r tröst, at ha merit.*

afwen så

J. SCHICK.

DOCTISSIMO DOMINO

CHRISTOPHORO TÄRNSTRÖM

Ludimagistro Östhammarensi,
Eximiae de ALANDIA Dissertationis
AUCTORI

Incluta Balthiacæ sedet insula Tethyos alto,
Foeta viris, locuples portubus, uber agris;
Dives & armentis, & opaco turgida saltu:
Gramine versicolor mille nitente modis.
Est ea fallendae quoque squamigerum apta cohort
Quae per Botniacos itque reditque sinus.
ALANDAM vocitant. veteres coluere BIARMI,
Martia gens, Scythico percelebrata solo.
Profiluit durorum illinc examen ALANUM,
Quod patrium Hesperio nomen in orbe tulit;
Contudit atque Afros, fortesque refregit Iberos,
Inseditque arvis, Galle superbe, Tuis.
Sed quid ego haec? raucum resonat quid carmen
LANDOS?

Actum ago. cur magnis addo fluentia fretis?
Sat Tua, TÄRNSTRÖMI, generosam pagina gentem
Pingit. nostra nihil Musa, quod addat, habet.
Maeste animo. virtutis iter Tu confice coeptum.
Plenum, cuius adest pars modo, profer opus.
Fac, precor, Alandam pigeat neve Hospitis oram
Hocce refer meritis officiumque suis.
Hospita sic memorem regio memorabit Alumnum.
Sic ab ea laudes, quas tulit, ipse feres.
Sic facilis Tibi Phoebus erit, facilesque Camenae:
In fatis & erunt mitia quaeque Tuis.

properus adplaud.

JOH. JO. AMNELL,
Upl.

Cum omni tempore, ita ut fratres decuit, communia
 nobis gaudia fuerint, qui demum hac occasione
 gratissima, Tibi non plauderem, intimaeque sensum
 laetitiae effunderem, cum publicam laudis & gloriae
 messem facturus, praeclarum in Alandia illustranda
 conatum tuum exhibes? Pulcherrimum id opus, &
 in quo difficile iudicium est, utrum plus inde lucis regio
 ipsa, an incrementi fama & existimatio Tua accepe-
 rit. Atque si pretium laboris difficultas ipsa auget,
 tuus hic, permolestus omnino & arduus labor, maxi-
 ma laude dignus censi debet. Non commemora-
 quas communiter ii experiuntur, qui in eruenda rerum
 vetustarum memoria versantur, difficultates & mole-
 stias, Tibi vero hic tanto gravius sentiendas, quam
 magis Tuam illam Alandiam tenebrae & Annalium
 silentia involverant; pericula illa loquor, & crebro
 naufragii timores, quos Tibi, inter medios vastissime
 maris fluctus notitiam insulae huius haurienti, minaces
 undae, exploratorem quasi dedignantem, attulerunt.
 Hoc tanto discrimine illam redemisti cognitionem,
 quam Patriae nunc & Publico consecrasti. Multus
 non ero in laudibus Tuis; quivis Tibi alius, quam
 frater, aptior praeco continget. Sic autem existimes
 velim, ita demum perfectam fore tuam & consum-
 matam felicitatem, si meis responderit votis.

ANDREAS TÄRNSTRÖM.